



Taubmaria. aximata

approbatum. semel reprobari non potest. 443. 53  
quod se vel placit amplius dissipare non debet. p. 229. num. 4.

I Tan  
T Orsi  
T Sveni  
T Tanb  
S Nohu  
O Etlan  
T Ernle  
P Adlym  
O Wadig  
R Heng  
L Dall  
A Regi  
B Magu  
E Ebo  
S Bala  
G Linn  
T Rap  
B Weaf  
A 42m  
T Fatz  
E Nea  
E Bur  
G Lina  
A Lzam  
S Lang  
S Luan  
T Maty  
E Neam  
T Bara  
S Irom  
T Balin  
T Gindel  
T Borod

L. 9.  
M. 6. 10

- Index Disputationum hoc in Volumine
- 1 Taubmanni Categoriae Contacterium, Disputationem difficit. s. pag. 1.
- 2 Schirarz Ropps Synopsis Particularum, pag. 237.
- 3 Sveni collegium Feudale, pag. 341.
- 4 Taubmanni ~~Urgi~~ epione Institutionum, pag. 549.
- 5 Molano de jure Novacum & libertia, pag. 545.
- 6 Delavaux de Re militari & libertia, pag. 599.
- 7 Erull de Pacificatione Religionis Augustana & libertia, pag. 637.
- 8 Lassuer de jure Sepulture & libertia, pag. 751.
- 9 Wedig de dominio & libertia, pag. 825.
- 10 Kugler de executione rei privatae & libertia, pag. 881.
- 11 Delaval de commerciorum rapaciam pura regulari & libertia, pag. 921.
- 12 Rastorff de Fidei & libertia, pag. 920.
- 13 Wagner de differentijs juris civilis & canonici, pag. 1067.
- 14 Eboratius ad l. un. f. de Dicit. ex lege, pag. 1067.
- 15 Bajans de Fidelioribus, pag. 1155.
- 16 Lomplin de origine, Autoritate definitione et fiducioribus Feudis, pag. 1175.
- 17 Raftus de cultoribus bonorum, pag. 1199.
- 18 Vilasoro Disputationes Theorico-Practicae, pag. 1223.
- 19 Herring de Retorixole, pag. 1239.
- 20 Fatzij de donationib. inter vires, pag. 1255.
- 21 Neander de debitis privatis, pag. 1260.
- 22 Burghard de emtione et renditione, pag. 1299.
- 23 Luidrade de Pastu pecori, pag. 1323.
- 24 Lippmann de curmine, maiestatis humanae, pag. 1339.
- 25 Langford tiga, iurisdictione miscellanea ex jure privato feudali atq. publico, pag. 1353.
- 26 Lundbeck inventarium ex l. ult. c. de jure delib. pag. 1359.
- 27 Matzij Deicas questiones controverzarum, pag. 1393.
- 28 Neander, ferme ex quatuor libri jure positores, pag. 1429.
- 29 Bartolo de Usufructu, pag. 1475.
- 30 Thomas de beneficio competenter, pag. 1513.
- 31 Delaval de gaudiis & prælatione creditorum, pag. 1563.
- 32 Guidel de Republica Romano-Germanica, pag. 1583.
- 33 Borckmann de legatis sive maiestatis iuribus, pag. 1631.

- 34 Ledeboltz de furtis pag. 1057.  
 35 Laurentius de heretici pag. 1681.  
 36 Hobbes de Legejore pag. 1701.  
 37 Ritter de natura jurisprudentie crudem fire, vixito et nudissim pag. 1763.  
 38 Englebert de jure tutelaris pag. 1771.  
 39 Historia de tractu commodati pag. 1801.  
 40 Wiedmann de Fidei justoribus pag. 1487.  
 41 Heine de iure adulterii pag. 1837.  
 42 Epistola de bene fuis et feudos ecclesiasticis pag. 1685.  
 43 Culicier de causis Imperii Romanorum Germanicorum pag. 1953.  
 44 Melchior de Tortura pag. 1981.  
 45 Leonai Delitatio Institutionum pag. 2013.  
 46 Graupner ex I. n. Grauen. trit. de. Regestate armis et legib. instruenda, et spei,  
     ciatum de armis fire bello et Legib. pag. 2041.  
 47 Tercius de jure Personarum pag. 2055.  
 48 Pachia Novaria ad Materiam Testamentariam spectantes Positiones pag. 2001.  
 49 Sauterz de Tyrannide pag. 221.  
 50 Baugaud de festitia et quidem commutativa pag. 2337.  
 51 Chomperg de suuestione pag. 2401.  
 52 Digeri Actes Sacris pag. 2471.  
 53 Leyne Gyralon Principum pag. 2493.  
 54 Galgenfauns de boko Lincepe pag. 2221.  
 55 Remigius de Politia pag. 2241.



MS

CUM DEO  
DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**FIDEJUSSORIBUS,**

*Quam*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Consultissimi & Amplissimi*

**DN. GOTTFRIDI SUEVI J.U.D.**

& P.P. Curiæ Provincialis, Scabinatus & Facultatis Ju-  
ridicæ Assessoris, Patroni & Præceptoris sui omni ho-  
noris & reverentia cultu suspiciendi.

*Publico Examini proponit*

**JOHANNES BARSOENIUS**

Hamburg.

*In Auditorio JCtorum*

ad diem 3. Maij.

hor. matut.

---

*WITTEBERGÆ*

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendl  
ANNO M DC XLV.

7. Ae

XV

ALIGRUM CITATUM

2000 HISTORIC

2000 HISTORIC

2000 HISTORIC

2000 HISTORIC

2000 HISTORIC

2000 HISTORIC

Σύν Θεῷ  
PRÆLOQUIUM:

**E**A mortalitatis nostræ angustia & conditio est, ut sibi ipsi sufficere in omnibus nemo possit; Sed alter alterius adminiculum & allevamentum quasi urgente ipsa necessitate flagitet, ut verbo veteri Homo homini Deus sit. Inde jam ex primo tempore, quo urbes condi ceperunt, ad mutua auxilia, ipsius naturæ socialis instinctu ducti sunt Homines, in iis, quæ firmandæ Dei & divinorum agnitioni, parandæ doctrinæ & humanarum rerum scientiarum erant,

*Namque alios alij ut de Religione docerent.*

*Contiguas pietas jussit habere domos.*

Cum primis verò, quæ ad sustentanda vita necessitates & sublevandas varias indigentias pertinebant; citra communicationes aliorum in parato semper esse non possunt: Ideò supplicandum soepè sis est; quibus laetior familiaris rei apparatus, aut fors splendidior affulxit, ut nummos, futuræ indigentie sponsores, quibus redimibilia cuncta, vaneant, vel subministrarent ipsi; vel ut ab aliis id officii præstaretur, fide vel interventione sua procurarent, quorum illi creditores ex mutuo dicuntur; hi fidejussores. Cum itaque fidejussionum materia & juri frequentissima sit, & ob varias inde surgentes obligationes inter fidejussorem & creditorem, inter debitorem quoque & fidejussorem, maximè nobilis. Ideò liberalis & Academici Execitij gratiâ, eam Thesibus quibusdam comprehensam, ad publicam Examinationem disquisitionem exhibere volui. Successibus gratiosis, à Divino Numine humiliter imploratis.

A 2

THES.

## THESS. I.

**N**otationem vocabuli fidejussoris, sonus ipse ostendit, compo-  
nitum id esse à fide & jubendo, eā quidem appellandi ratione ;  
quod qui fidem interponit pro alio, ut ab altero alteri quid detur  
vel fiat ; Idem illud jubeat, suā fide, vel periculo : Ausf seine Trew  
vnd Glauben / ausf seinen fidem. Idenim vocabuli à vulgo  
quoque solet usurpari ; Unde non ineleganter ab aliis fidejussor  
dicitur, Autor credendi, nisi enim is juberet, id est, straderet, cupe-  
ret (hæc enim est vocabuli significatio, apud Latinos quoque, uti  
ex formulâ paret, jubeo te bene esse , jubeo te salvare &c.) alter  
neque ad credendum induceretur neque alter creditum acciperet  
&c. Germanico Idiomate frequentissimè usurpata sunt nomina :  
Bürge/ Bürge werden/ Burgshafft leissen// in Burgshafft ein-  
lassen/ sich verbürgen.

## THESS. II.

Variis autem modis fieri potest, ut quis alterius obligationem  
in se suscipiat, & ita generaliter fidem pro alio interponat: & ad  
debitum alienum exsolvendum se obstringat ; Primò, si obliga-  
tionem, quæ nondum est, esse jubeat : Veluti, si mandem Titio,  
ut Cajo mutuo det 100. aureos, qui mandator dicitur. Secun-  
do. Si obligationem, quæ jam est in persona principalis debitoris,  
fidem suā esse jubeat ; Veluti, si pro Titio, qui 100. aureos à Mævio  
sibi numeratos accepit, fidem meam obstringam. Et hoc ite-  
rum fit duobus modis. Aut enim ita quis accedit obligationi  
alterius, ut is qui obligatus est, prorsus à creditore suo liberetur,  
& is qui accedit, solus pro alio sit obligatus. Aut ita: ut una  
cum debitorē principali, vel uni vel pluribus creditoribus obli-  
getur, ad debitum ab alio contractum exsolvendum. Ille dici-  
tur Exprimillor. Cujus vocabuli injure fit mentio. in l. 22. ff. ad  
SC. Vell. l. ult. ff. ad SC. Maced. & passim : Idq; Exprimilli ver-  
bum, JCTis proprium esse , doceardi causā ab ipsis inventum, ut  
vocula Ex , promittendi significationem augeat: Connan: tra-  
dit lib.6. comment. Jur. Civ. c. 6. n. 2. § 91. Hic vero, prout vel  
zundo pacto , vel per stipulationem ad alterius obligationem acce-  
dit; ita etiam diversimodè appellatur, vel Constitutor, sive consti-  
tutio:

titus pecuniae reus, si nudo pacto accesserit, vel fidejussor, si per stipulationem.

### THESS. III.

Constat hinc potest; Quod, licet affinitas harum personarum; Mandatoris, Expromissoris, Constitutoris & fidejussoris in eo sit, quod omnes illi pro aliis intercedant, obligationem eorum in se suscipiendo; Omnes tamen inter se, & in primis fidejussor à ceteris differant: Et 1. à Mandatore, qui (1) semper præcedit obligationem; Nam si post creditam pecuniariam mandavero creditori credendam, nullum esse mandatum recusissimè Papinius ait Laudante eum Ulpiano. in l. 12. §. 14. ff mand. Fidejussor autem semper effectu inspecto sequitur obligationem principalem. (2) Mandator nudo consensu intervenie s.t. J. de oblig. ex consensu. 1. 1. J. de Mandato; Fidejussor verò stipulando. 2. Differt ab Ex promissore, qui animo novandi intercedit, ad Effectum, debitoris à creditore suo penitus liberandi. Fidejussor autem intercedit, ut una cum débitore sit obligatus, non ut eo liberato solus obligetur. 3. à Constitutore, qui tantum sequitur principalem obligationem: Qui enim citra stipulationem constituit se solutum quod alius debet, non potest, nisi jam constituta & radicata in alio obligationi accedere, & sic eam sequi. 1. 1. ff. de Consit. pec. Fidejussor verò & præcedere obligationem & sequi potest, dicitur in § 3. J. de fidejuss. quod tamen civiliter accipendum, ut præcedat quidem ordine temporis, Effectu autem principalem obligationem præcedere non intelligatur, & ob id, antequam reus debet, conveniri non possit. 1. 57. ff. de Fidejuss. Cum fidejussoria obligatio, tanquam accessoria, sine principali consistere non possit: Sicut in simili futuro quidem ædificio servitus prædialis seu realis imponi potest 1. 23. §. 1. ff. de Servitut. præd. urb. quæ tamen Effectu non debetur, nisi exstructio vel acquisito prædio: Quia servitutes haec sine prædiis constitui non possunt, unde & servitudes prædiorum appellantur. §. 3. J. de Servit. rustic. & urban. præd.

### THESS. IV.

Ipsius quoq; fidejussoris appellationes variae sunt. Primo, enim vocatur Adpromissor, qui idem cum fidejussore. 1. 43. ff. de Solutionib. 1. 5. §. 2. ff. de V. O. tum, quia fidejussor ad promittat id est,

idem promittat, quod debitor principalis promiserat. d. l.5. §. 2. tum  
 quod ad obligationem principalem i.e. post eam promittere soleat,  
 licet ordinetur temporis interdum prius promittat, ut dictū th. præced.  
 Sicut alias præpositio ad, idem significat, quod post: Itan. codicilli  
 ad testamentum facti. l. 30. pr. ff. de Test. Mil. pro codicillis post testa-  
 mentum conditum accipiuntur; 2. Sponsor quoq; appellari solet.  
arg. l. 68 pr. ff. de fidejuss. quibus nominibus Sponsoris nimurum. Con-  
 sponor, Spondendi & adpromittendi, Cicero frequenter usus est,  
 cum fidejussoris & fidejubendi vocabula non æque cognita essent,  
 censente Connar. l. 6. com. c. 6. n. 1. Licet quidam Sponsorem, eo quod  
 sponte, non rogatus intercedat, à fidejussore distinguant. 3. Præ-  
s à præstanto, vel quod præsens promiserit unde vulgata formula,  
 prædiis & prædibus, i. e. immobilibus & fidejussoribus cavere..  
Quanquam Prædes illi olim nominati fuerint, qui Reip. vel Prin-  
cipi spondebant, pro iis qui pecuniam publicam dispensabant,  
alio nomine Receptores dicti; vid. Schard. in Lexico, verbo Præs.  
4. Fidepromissor quoq; appellari posset, quia promittit, fide suâ &  
 periculo debitum contractum, futurum esse; quanquam & hoc  
 nominis usurpetur de reo principali, qui fide suâ de solutione  
 faciendâ promittit.

A modo & causis interveniendi, cum adjectiâ quâdam  
 qualitate vocantur aliqui fidejussores indemnitatis. Rieftürger  
oder Schabelosbürgen: quo nomine veniunt, tum illi qui profi-  
 dejussore intervenerunt l. 8. §. ult. ff. de fidejuss. Tum, qui à Credi-  
 tore accepti sunt, in id, quod à reo principali consequi non pos-  
 set l. 16. ff. de V.O. Alii sunt fidejussores Evictionis, qui à vendi-  
 tore ob periculum Evictionis rei venditæ dari solent, Gemechrs-  
fürgen / quos Autores secundos appellat Ulpian. in l. 4 pr. ff. de Evid.  
 Sunt, & qui fidejussores in rem dicuntur, fidem obstringentes in eo  
 negotio, quod ipsis est proprium; sicut eâdem ratione, procurato-  
 res in rem appellari moris est.

### THESES. V.

De Fidejussoribus ergo, (hanc enim receptissimam appella-  
 tionem retinebimus) dicturi, hoc ordine procedemus, ut videa-  
 mus. 1. De subjecto, sive personis, quæ fidejubere possint. 2. De  
 Objecto scil. de rebus in quibus intervenire liceat. 3. De formâ &  
 modo

modo intervenciendi. 4. De effectu. 5. De beneficiis fidei jussorum.  
6. De Contrariis beneficiorum. 7. De Actionibus fidei jussorum.

## THESES VI.

De Personis fidei jussorum dum agimus, præmittendum est  
primum, neque Jure Divino, neque gentium, fidejubere pro alio  
prohibitum esse. Quanquam enim & Salomon in proverbii in  
sponsores vel fidei jussores admodum invehat, & spondenti no-  
xam præstò esse, Gentilium Sapientes censuerint: Attamen & ille  
futilitatem sive temeritatem saltem spondendi dissuadet, & hic pe-  
riculum fidei jussori proximum ostendunt, neuter verò officium  
fidejubendi improbat. Fidejubere ergò licitum est iis, qui pos-  
sunt. Possunt autem illi, qui stipulandi jus habent, quia enim si-  
dejussio per stipulationem celebratur. Th. 3. sequitur ut qui à si-  
pulationis contractu excluduntur iidem quoque fidei jussores esse  
nequeant. Prohibentur ergo. 1. Illi, qui à contractu stipulatio-  
nis prohibentur, quales i. Infantes. 2. pupilli sine tutoris autorita-  
tate; Infantes ideo, quod fari non possint. Reliqui nimirum in-  
fantæ proximi usque ad 10. & dimidium ætatis annum in mascu-  
lis, vel usque ad 9. & dimidium in foeminis, juxta receptissimam  
doctorum opinionem, ideo, quia dum obligantur ex stipulatu,  
adeoque ex fidei jussione suâ, conditionem suam faciunt deterio-  
rem, quod aliter ipsis licitum non est, nisi cum tutoris autoritate,  
per pr. I. de Autorit. tut. 3. Furiosi & mente capti, quibus adem-  
ptus est rationis usus, ita ut vel cum rabie delirent vel sine eâ, tran-  
quillâ saltem alienatione mentis laborent Dd. ad §. 4. Inf. decurator.  
Quanquam si furiosi & mente capti, in tempore dilucidi intervalli  
sint constituti, rectè & stipulentur & fidejubent, sicut & testa-  
menta rectè condunt, in quibus etiam voluntatis nostræ justa sen-  
tentia requiritur, de eo quod post mortem nostram fieri velimus.  
l. 1. ff. qui testam. fac. poss. & alia rectè peragunt, quæ non nisi à sa-  
nis & ratione pollutibus fieri solent. Quando autem in diluci-  
do-intervallo constituti censeantur & dici possint, juxta commu-  
nem Doctorum sententiam, inde constat; Si Sana & loquantur  
& agant. 4. Prodigi: Nam in fidei jussore requiritur utiq;, ut obliga-  
tur quis civiliter, id est, ut ad solutionem faciendam actione effi-  
caci conveniri possit. Prodigum autem ne naturaliter quidem  
obli-

A.

1162

Obligari, probat haut obscurè JCtus. in l. 6. ff. de verb. oblig. Ceterum prodigum illum statuimus, qui expensarum suarum neque modum neque finem habet: qui, ubi semel à Magistratu declaratus fuerit, ipso jure honorum interdictionem patitur & curatorem habet. ex L. 12. Tab. vid. Fragmenta Legis 12. tab. de I. priv. n. 5. 5.  
Muti & surdi, quia uterque à stipulationis contractu arcendus est, cum & verbis ore nuncupatis consistat stipulatio, & is qui stipulatur, verba promittentis, is verò, qui promittit, verba stipulantis audire debeat. §. 7. Inst. de inutil. stip. Quanquam si scribere sciant, utrumque fidejubere posse recepta inter Doctores sententia sit. Wef. ad d. §. 7. J. de inutil. &c. Alii (2.) licet stipulari, tamen fidejubere non possunt, propterea quod speciali ratione prohibeantur, quo minus fidem suam regulariter interponant. Quales r. Fœminæ, quæ fidejussorio nomine obligationem alterius in recipere non possunt, nisi renuncient SCto Vellejano. l. 1. & t. t. ff. ad SC. Vellej. ad quod certiorationem quidem, precedentem requirimus, ne alias eadem facilitate renunciet mulier, quæ intercessit, non autem locum judicij. Treurl. vol. 2. disp. 28. ib. 2. tit. 6. itm & tacite renunciari posse beneficio SCti Vellejani statuimus, si mulier post biennium iterato fidejusserit. l. 22. C. ad SC. Vell. 2. servi qui sicut invito domino ex stipulatu obligari non possint, ita nec fidejubere: Nihil enim facere possunt, ex quo deterior fiat conditio Dominorum, quæ ratione sine jussu Domini, nec hereditatem, eos adire posse constat ex §. 3. l. per quas pers. cuiq; acquir. (3.) Milites, qui idèò quod signis suis continuo adhærere cogantur, adeoque ob difficultatem conveniendi fidejubere nequeunt. l. 8. §. 1. ff. quis satid. cog. Minores verò licet à fidejussione, sicut & ab aliis obligationibus non prohibeantur, etiam si curatorum, quos habent sponte acceptos §. 2. Inst. de Curat. consensus non intervererit. l. puberes 101. ff. de V.O. attamen idonei fidejussores non sunt, sed recusari possunt, propterea, quod restitutionis in integrum beneficio muniti sint: Si quod ex fidejussione damnum incurvant. l. 1. ff. de minorib. 25. ann. & C. de in integr. restit. minor.

### THESES. VII.

2. Materia fidejussionis sunt negotia illa ex quibus obligatio in personā rei principalis oriiri potest, sive ex contractu sit, sive ex delicto

delicto interdum. Nam ut fidejussoria obligatio subsistat, necesse omnino est principalem subesse, sine quo accessorium nunquam subsistit. De civilibus negotiis dubium non est, quin iis regulariter accedere possit fidejussor; Exceptis 1. rebus turpibus; In nullam enim rationem adhibetur fidejussor, cum flagitiosa rei societas coita nullam vim habeat, ut loquitur I Ctus in l. 70. §. ult. ff. de fidejus. 2. Causa dotum pro conservandis nimirum iisdem t. r. C. ne fidejuss. dot. dent. Si enim credendam mulier sese suamq; dotem patri matiti existimat, quare fidejussor vel aliis intercessor exigitur, ut causa perfidia in connubio eorum generetur, rescripsit Imperator noster in l. ult. C. d. t. ne fidejus. dot. dent. neque etiam plus ponendum fidei in extraneo, quam in marito erit: Alia causa est fidejessorum, si post dissolutum matrimonium pro dote restituentia dentur l. 7. pr. ff. de Except. l. un. §. 7. C. de Reiuxor. act. 3. Populares causas excipimus, in quibus fidejussorem accipi non posse expresse responsum est in l. 56. §. ult. ff. de Fidejus.

## THESES. VIII.

Criminalia negotia quod attinet, distinctè tenendum; an delicti, pro quo petitus est fidejussor poena sit pecunaria, an corporis affictiva; priori casu fidejusserem accipi posse vix dubitandum est; quia poena illius executio æquæ in fidejusserem fieri potest; neque enim Fisci quicquam interest, quis solvat, an reus principalis, an qui pro eo intercessit; Posteriore casu, si poena corporis affictiva pro delicto infligenda veniat; interdum accipi potest fidejussor, ad peculiarem effectum relaxationis à carcere; ita nimurum, ut promittat fidejussor, Reum, quoctunque termino judiciali sisti in judicio sub poena, vel definita à judice vel definienda. Interdum frustra offerente, para si Reus in flagranti criminе comprehensus fuerit, aufs frischer handhafster That: id est, vel in ipso actu homicidii, vel criminis alterius admissi, vel si saltum cum gladio, aliisve patrando delicto adhibitis instrumentis deprehendatur; hoc enim casu adeò non relaxandus reus sub fidejussoribus est, ut potius ultimo supplicio confessim, nisi Exempli causa, in puncto homicidii necessariæ defensionis Exceptione muniantur, afficiendus sit; quod Practici notant. Quod si fidejussores in Criminalibus, Reum judicio non fliterint, neque sistere possint,

condemnandi erunt. De quo infra de effectu obligationis fidejussoriæ videndum erit.

THE. IX.

3. Fórmá fidejussionis interponendæ est in stipulationis solennitate, quæ olim necessaria erat, fidejubes, fidejubeo, §. 1. Inst. de V. O. Unde & stipulationes fidejussorum dicuntur in §. ult. Inst. de Fidejus. Cum itaq; stipulationes verbis ore nuncupatis siant pr. Inst. de V. O. §. 7. Inst. de inut. stip. & quidem quācunque lingua modo uterq; contrahentium ejus lingua intellexetur habeat. d. §. 1. Inst. de V. O. Præsentiam verò partium, stipulantis nimirum & promittentis requirant. §. 11. Inst. de inut. stip. Ideo & fidejussio olim verbis tantum celebrari potuit, quācunque lingua §. pen. Inst. de fidejus. Præsentibus tamen partibus & iis quorum interest. §. ult. Inst. d. t. Hodiè verò sicut cætera stipulationum solennia ab usu recesserunt; ita & in fidejussionibus, verba ore nuncupata non requiruntur; Sed per Epistolam quoque fidejubere quis potest, & sic etiam inter absentes: Nam quæ per Epistolam expediri possunt, Ea inter absentes celebrari nihil impedit. Trent. vol. 2. diss. 28. th. 4. lit. a..

THE. X.

Ad modum interponendæ fidejussionis, requiritur. 1. ut subsitaliqua obligatio principalis. Finis enim accipiendæ fidejussoriæ obligationis est, ut obligatio, quæ in alterius personæ nata & acquisita est, cautor fiat, quia fidejussores accipere solent homines, dum curant, ut diligentius sibi cautum sit. pr. Inst. de fidejus. Necessarium itaq; erit, subesse obligationem principalem; quæ per hanc accessoriæ, fidejussoriæ nimirum, cautor efficiatur; illad autem nihil interest, an naturalis tantum sit obligatio principalis an civilis. Nam pro utrâque fidejussor rectè intercedet §. 1. Inst. de fidejus. Inde propupillo, qui sine tutoris autoritate promisit, fidejussorem obligari, constat ex l. si pupillus 127. ff. de V. O. quod ipsum argumento est, pupillum etiam sine tutoris autoritate contrahentem semper naturaliter obligari, alias enim obligationi ejus, fidejussor accedere non posset d. §. 1. Inst. de fidejus. Eademq; ratione pro servo quoque, cum naturaliter sit obligatus, fidejussor rectè intercedit d. §. 1. Neque obstat, quod principalis debitor,

Obij.

bitor, qui naturāliter saltem obligatus est, nullā actione ad dandum quid vel faciendum cogi aut conveniri possit secundum civitatis Romanæ jura pr. *Inst. de obligat.* Ideoq; nec fidejussor intervenire posse videatur, cum hic in duriorem causam non possit obligari, quam reus principalis, Respondemus enim: Hoc casu non *Inst.* in durius obligari fidejussorem, sed saltem firmius & fortius, quod sibi imputare debet; sufficit enim obligationem principalem, quovis modo vel naturali vel civili substituisse. Obligatio autem naturalis omnino est obligatio, & subsistit, unde etiam effectus plures habet, ne solutum, tanquam indebitum repetatur, nisi, quoad hunc effectum speciali Lege vel S. Cto infirmetur interdum: ut novetur, ut compensatio inducatur, & alios, de quibus hic agendi, locus non est. *2. Requiritur, ne fidejussor in plus obligetur, quam reus principalis.* §. 5. *Inst. de fidejus.* Cujus ratio inde defumi potest, tum quod alias si in plus obligaretur, responsio non posset congruere interrogatori, quod tamen olim cum per solennia stipulationum celebraretur fidejussio, omnino necessarium erat; Nam si quis ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat, inutilis est stipulatio §. 5. *Inst. de inut. stip.* Tum quod fidejussoria obligatio sit accessio principalis obligationis; plus autem in accessione esse non possit, quam in principali re, censente Imperatore in §. 5. *Inst. de fidejus.* plus verò, quot modis dicatur, re, tempore, loco, causā constat ex §. 33. *Inst. de Att.* Unde si reus quinq; debeat, fidejussor decem promittendo, non obligatur, quatenus enim plus reperitur, non est alterius accessio, quia non est, cui accedit. Sic si reus sub conditione debeat, fidejussor pure frustra promittit l. Gracē §. 7 ff. *de fidejus.* plus enim est statim aliquid dare, minus est post tempus dare, dicitur in §. 5. *Inst. de fidejus.* Contraria vel in minus vel adleviorem causam, quam principalis debitor rectè obligatur. d. §. 5. Unde enata est illa regula. *Fidejussor in duriorem causam obligari non potest, in leviorē utiq; Quod si in plus,* *Re sive quantitate intercesserit fidejussor, an saltem pro competente summa teneatur queri potest;* puta si, ut ante dictū est, reus principalis saltem in quinq; sit obligatus, fidejussor a. pro decem aureis accipiatur; quoad excedentem summam quidem eum non obligari extra dubium est; cum in illā non habeat, cui accedat, verum

ad concurrentem usq; summam sc. 5. aureos fidejussorem obligari.  
 verius arbitramur ; Nam si stipulanti mihi decem tu viginti re-  
 spondeas obligationem tamen in decem contractam esse constat  
 l.1. §.4 ff. de V. O. utiq; de fidejussione idem affirmandum erit , si  
 quidem in stipulatione interrogationi magis congrua esse debet  
 responso, quam in fidejussione. Accedit, quod in actibus illis, qui  
 divisionem patiuntur , utile per inutile vitiari non debeat, sed  
 potius eò allaborandum sit, ut valeat actus quam ut pereat  
 l.12. l.21 ff. de reb. dub. l.80. ff. de V. O. Ergo & in fidejussoriâ obli-  
 gatione, summa excedens, tanquam utile quid subsistat , ut effe-  
 ctum habeat obligatio , maximè, cum ratione priorum quinque  
 aureorum, fidejussoris obligatio habeat, cui accedat, & in summâ  
 majori insit etiam minor , proinde, qui pro decem aureis, nomine  
 debitoris principalis fidejussit, is & pro quinque fidejussisse cen-  
 seatur & sic congruitas in interrogatione & response induci  
 rectè possit. Neq; assertioni huic adeò obstat, quod dicitur à J. Cto  
 in l. Græcè §. 7. ff. de fidejuss. Fidejussores induriorem causam  
 adhibitos omnino non obligari i. e. nullo modo, siquidem parti-  
 cula, non, postposita signo universalì æquipollit dictioni , nullo  
 modo.. Nam responderi potest, vel juxta editionem Haloandri  
 legendum esse transpositè, non omnino obligari, quam lectionem  
 quoque probat Mynsing. in comm. Inst. ad § 5. b. t. vel licet recepta  
 lectio retineatur & legatur, omnino non obligari, sensum tamen  
 & intellectum eundem esse, hunc scilicet, omnino non, vel non  
 omnino, id est, non in solidum obligari, scilicet. ratione summæ  
 excedentis , in quam fidejusserat, interim tamen aliquatenus ob-  
 ligari, usque ad concurrentem nimirum summam , ad quam  
 ipse reus sive principalis debitor erat obligatus, sicut hanc lo-  
 quendi formam, omnino non, pro non in solidum accipi , & sic  
 particulam negativam saepius postponi , cum tamen præponi  
 deberet, videre est apud Harpr. ad d. § 5. Inst. de fidejuss. n. 21. &  
 seqq. Hering. de fidejuss. c.24. n. 65. Frantz. Exerc. 10. quest. 7. in eâ-  
 dem quoq; nobiscum sententiâ est. Wef. π. de fidejuss. n. 5. 3. Ad  
 modum interponendæ fidejussionis requiritur, ut quis interce-  
 dat animo fidejubendi , & debitoris principalis obligationem in  
 se recipiendi. Unde, si quis commendaverit saltem debitorem  
 princi-

3167

principalem, vel eum solvendo esse affirmaverit; Hunc ilicō tam  
quam fidejussorem obligatum esse, dicere non licet, magis enim  
commendandi hominis quam mandandi dixit. l. 12. §. 12. ff. mand.  
Voluntate enim & verbis expedienda est fidejussio: Sive expres-  
sis, meā fide jubeo ego. Sive aequipollentibus volo, affirmo &c.  
hoc enim pro eo erit, ac si dixerit, dico. §. pen. Inst. de fidejuss.  
Quod si quis, cum sciret, debitorem facultatibus labi, sibi lucri  
causā affirmavit mihi, idoneum esse, meritò adversus eum, cum  
mei decipiendi gratiā alium falsò laudavit, de dolo judicium dan-  
dum est, ait. *J. Cius in l. 8. de dol. mal.*

THESES. XI.

Effectus obligationis fidejussoriæ in eo est, ut fidejussor  
pro reo principali intercedens aequè teneatur, ut ipse debitor  
principalis, in omne id, quod tempore fidejussionis erat in obli-  
gatione, sive fors fuerit, sive usura *Wef. π. de fidejuss. n. 6.* Cate-  
rum ista fidejussoris obligatio, cancellis quibusdam sive terminis  
circumscribenda est: 1. ut fidejussor pro eo, quod ex mor-  
ā & delicto debitoris accessit, nequam tencatur, unde nec  
de usuris ex morā debitoris currentibus, conveniri potest fide-  
jussor. l. centum Capua 8. ff. de eo, quod certo loco, nisi se ad omnem  
causam obligaverit, sub quā causā etiam usurarum præstatio  
continebitur, de quo casu exaudienda est. l. quero 54. Pr. ff. Lo-  
cat. Alias mora unicuique sua nocere debet, non alteri, l. 5 ff.  
de rebus cred. id est, debitori principali, non fidejussori. Ne-  
que est, si dicas, moram rei principalis, omnino fidejussori  
quoque nocere. l. 88. ff. de fidejuss. Nam respondemus illam re-  
gulam saltem procedere quoad perpetuandam obligationem,  
non item quoad augendam. vid. Arum. Ex. 13. th. 16. Harpr. ad §. 5.  
Inst. de fidejuss. n. 30. & seqq. Alia tamen ratio est fidejussorum,  
qui pro tutoribus intervenierunt, eos enim ad omnes accessiones,  
etiam ex morā tutorum, licet non in omnem causam se obli-  
gaverint, teneri evincit textus in l. 10. ff. rem pupill. salv. ser. Sicut  
aliás in favorem pupillorum circa fidejussores tutorum speciali  
ratione quadam recepta sunt: ut in beneficio divisionis, de quo  
infra videbimus, & in aliis de quibus vid. *Wef. in π. de fidejuss. tu-*  
*tor.* Idem quoque in fidejussoribus eorum obtinet, qui publica

vestigalia conduxerunt, ut & ipsi, ex principalium suorum mortâ, adeoque citra specialem obligationem in omnem causam teneantur. l. 2. §. pen. ff. de administr. rer. ad civit. pertinent. in favorem Rerum & causarum publicarum, ob quem & alias plura circa societatem vestigalium publicorum, ne ea morte unius è sociis dissolvatur; & alia quæ suis locis tractanda, favorabiliter constituta sunt. Porro non ipsi tantum, fidejussores, eo, quo dictum est modo, obligantur, verum & eorum hæredes. §. 2. Inst. de fidejus. Est enim regulariter de naturâ obligationum ex contractu dëscendentium, ut ad hæredes quoque transmitantur, tam activè, quam passivè, & sicut unusquisque contrahendo sibi & suis hæreditibus prospicere voluit, ita & contrahendo cum aliquo, non tantum cum, cum quo contraxit, verum & ejus hæredes obligare sibi voluisse censetur. Nam & alias parum in tuto erit obligatio principalis, si morte ipsius fidejussoris accepta, quæ mox contractam obligationem sequi potest, omnis cautio & securitas concidat, quanquam pacto & speciali conventione fieri possit, ut fidejussorum quisque ad vitam saltem sit obligatus, quod casu extincto primo fidejusso, novi in locum demortuorum dandi erunt. vid. Harpr. ad d. §. 2. Inst. de fidejus. De jure Sax. quoq; fidejussorum hæredes obligari, secus ac olim quibusdam putatum fuit, per text. Landr. lib. 1. art. 6. expressa est const. Elec. Aug. 20. p. 2. licet heredum in instrumento obligationis mentio facta non fuerit; De interpretatione vero textus allegat. in Landr. d. art. 6. vid. Schulz. in Synopf. Inst. de fidejus. tit. 6. Interdum & ex consuetudine locorum fidejusso saltem ad vitam usque tenetur, qualem consuetudinem in Regno Bohemiae viguisse testatur Treut. Vol. 2. diff. 23. tb. 5. tit. 6. Quæ omnino tanquam optima Legum interpres l. 37. ff. de LL. attendenda erit.

## THESS. XII.

Secundo, Cancelli ponendi sunt in materia delictorum, si in iis fidejusso intercesserit, quod potest, juxta modos tamen superius exppositos; Nam si reum, qui ob fidejussionem relaxatus est a carcere, judicio non sifat, neque cum elapsus fuga sit, sistere posse, non quidem ad poenam corporalem, quæ alias reo principali, si convictus fuerit, imponenda erat, per trahendus est, licet vel maximè ad subeundam eandem poenam corporalem se obligari;

Delicta

**D**elicata enim suos tenere debent autores, ne ulterius progrederiatur metus quam reperiatur delictum. *L. Sancimus 22. C. de pan.* Et membrorum suorum nemo dominus est, uti dicitur in *l. liber homo 13. pr. ff. ad L. Aquil.* Sed ad poenam pecuniariam, eam ipsam nimisrum, quæ initio obligationis definita fuit, aut eam, quam definiet Magistratus. *l. 2. C. ad S.C. Turpil. l. 4. ff. de custod. & exhib. reor.* Imo interdum extra ordinem quoque plectendus est fidejussor, si dolorem non exhibeat, & dolō fecerit, ut elaberetur. *d. l. 4.* Impunitus enim dolus iste, cum délinquentibus impunitatem conciliare tentet, manere non debet, idque Reipubl. interest. Jure Sax. hunc in casum recepta est præstatio Wergeldi. *Eandr. lib. 1. art. 56.* & passim. vid. *Schultz. Syn. Inst. de fidejuss. lit. a.*

## T.H.E.S. XIII.

Tertiò ad terminos obligationis fidejussoræ pertinet, ut eos usque saltē obligetur, quousque obligatus esse voluit, puta, si ad certum tempus, annum vel biennium intercesserit, elapsō illo tempore; si debitor principalis à creditore prorogationem impetraverit, non ulterius est obligatus, per ea quæ tradit *Gail. 2. obs. 39. n. ii.* Sic enim tempus adjectum fuit causā limitandæ obligationis, maximè si expressum fuerit in instrumento, fidejussorem post conditum tampus obligatum esse non debere, *concordat jus Sax. in conf. El. 19. p. 2. §.* Dō aber ein Bürge. Aliud est, si fidejussor simpliciter intercesserit, tunc enim prorogatione termini, etiam ipso inscio facta, nullo modo liberabitur, tum quod in omnem causam sic intercessisse, tempus vero solutioni solummodo adiectum esse, censeatur. *Gail. d. obs. 30. n. ii. & seq. & d. Conf. El. 19. p. 2. pr. adde Mysing. cent. 6. obs. 53.* ubi hæc memorata digna, & quæ in praxi cottidie usuvenire possint, commendat. Quod si neque hoc, neque alio modo liberatum se docere possit fidejussor, tunc pro solutione facienda conveniri potest, & quidem olim ante excussum principalem debitorem, & in solidum, licet plures fidejussores unum cum ipso accepti fuerint, donec de jure novo quædam de fidejussoribus inducta sunt beneficia, de quibus in Thesi seq. brevibus dispiciendum erit.

## T.H.E.S. XIV.

Sunt autem beneficia fidejussorum tria maximè. *1. Excusonis, introductum ab Imperatore Justiniano in Nov. 4. c. 1.* Ex quâ desumpta est *Amb. Prefente C. de fidejuss.* Cujus vigore fidejussor,

S.

tor, si forte ante reum principalem conveniatur à Creditore, hanc  
 Exceptionem Excusionis opponit; Executiendum esse prius de-  
 bitorem principalem, quod si facta diligent excusione, eum non  
 solvendo esse constiterit, tunc demum de solutione se compellan-  
 dum; Dicitur etiam beneficium vel exceptio ordinis, propterea,  
 quod fidejussor conventus ordinem receptum observari intendat,  
 & reum principalem prius conveniri petat; Estq; hæc Exceptio  
 ex numero illarum dilatoriarum, quæ ipsam actionem concer-  
 nunt. 2. est beneficium divisionis, Nam cum olim è pluribus fi-  
 dejussoribus, unusquisq; in solidum obligatus esset & conveniri  
 posset. l. 3. C. de fidejuss. Divus Adrianus Imp. beneficium intro-  
 duxit, quod ab Autore, beneficium Epistolæ Divi Adriani, à reipsâ  
 divisionis appellatur, & opponitur in modum Exceptionis eo ef-  
 fectu, ut è pluribus fidejussoribus unus ad solutionem in solidum  
 faciendam conventus, dicat, dividendam esse actionem inter plu-  
 res fidejussores, seq; ad solutionem debiti non nisi pro rata teneri,  
 de cætero reliquos conveniendos esse, siquidem tempore litis con-  
 testata & ipsi sint solvendo §. 4. Inst. de fidejuss. Est autem hæc Ex-  
 ceptio ex numero illarum, quæ peremptoria dicuntur, quia action-  
 em creditoris pro parte perimit Et ante sententiam opponenda,  
 vid. Zanger. de Except. p. 3. c. 19. 3. est beneficium cedendarum a-  
ctionum, cuius vigore, fidejussor, qui conventus ac creditore so-  
 lutionem fecit, petit sibi Actiones cedi, adversus reliquos confide-  
 jussores. l. 17. l. 39. ff. de fidejuss. l. 11. C. cod. Alias enim fidejussor,  
 post factam solutionem confidejussores suos, cum quibus nihil  
 negotii gestum est, convenire non posset, nisi creditoris actionem  
 adversus illos cedi sibi curaret. d. l. 39. d. l. 11. Est & hæc Exceptio,  
 sicut Excusionis, dilatoria, neque enim perimit actionem, sed dif-  
 fert tantum solutionem, opponi verò potest etiam post sententiam  
 in ipsa executione. Zanger. de Except. p. 2. c. 16. n. 27. & seqq. No-  
 tandum autem est, de istâ actionum cessione, ejusq; petitione. l. 1.  
Quod fieri regulariter quidem debeat & soleat, ante solutionem.  
l. 11. C. de fidejuss. vel reipsâ solutione, neque enim creditor post fa-  
 ctam solutionem actionem adversus fidejussores habere v detur.,  
 cum solutione ejus quod debetur, omnis tollatur obligatio. pr.  
 Inst. quib. mod. toll. oblig. Et unus è pluribus solvendo, omnium  
 obligationem perimat & omnes liberet. §. 1. Inst. de duob. reis fi-  
pul.

*pul.* Interim tamen nihil obstat quo minus ex intervallo quoque post factam solutionem cedi possint, siquidem accessoria sicut obligatio sublata esse censetur *vid. P. Heig. p. 1. quæst. 38.* *Quod cessio non in solidum cedatur facta, sed tantum pro virilibus portionibus, quæ resident in personâ fidejussorum;* Non enim integrum summam, quam solvendo præstit creditori, vigore cessio-  
nis à fidejussoribus exigere poterit, sed partes viriles: puta si tres pro trecentis aureis fidejussorio nomine intercesserint, unusquisque ex iis solutionem facere coactus, cedi sibi actionem adversus reliquos petierit, is non integros trecentos, à reliquis, sed ducen-  
tos tantum exiget. *vid. Harp. ad §. 4. Inst. de fidejuss. n. 66. Schultz. in Synops. Inst. d. t. lit. c.* Adversus debitorem fidejussor creditori solvens, posset quidem etiam cessionem actionis petere, verum non adeò opus habet, cum aliis actionibus eundem convenire possit, de quibus infra agendum erit.

### THESES. XV.

Sunt tamen complures casus, in quibus fidejussores iis, quæ recensuimus, beneficiis uti non possunt: *Nimirum primò & in specie à beneficio Excusionis excluduntur, vel ex pacto, vel ob qualitatem debitoris principalis, vel ex culpâ suâ. Ex pacto, si renunciaverint;* Nam favori pro se introducto quilibet potest renunciare, *l. pen. C. de pact.* Renunciatio autem ista fieri debet verbis expressis & sufficientibus, unde si fidejussor jurato intercesserit, promittens sub juramenti religione, se creditori nomi-  
ne debitoris soluturum esse, non propterea renunciasse censetur beneficio Excusionis, quia ut omne juramentum naturam actus sequitur, cui accedit, *l. ult. C. de non num. pec. ita & hic fidejus-  
sor, qui solutionem jurato promisit: in eum sicut alioquin pro-  
misisse censetur, si prius excusus fuerit debitor principalis;* *An-  
tudem renunciatio beneficii, ex eo recte colligatur, si fidejussor  
se obligaverit, tanquam principalem, als Selbstschuldigen/ in-  
signis quæstio est.* Et quanquam *Gail. lib. 2. obs. 28. n. 6.* & qui eum sequuntur quam plurimi, ex tali obligatione inferant renun-  
ciationem beneficii Excusionis, cum alias illa verba otiosa futura sint, *attamen contraria opinio & juri convenientior videtur.* *Bachov. ad Trent. vol. 2. disp. 28. th. 5. lit. C. Frantz. Exerc. 10. q. 8.* & in praxi Saxonica recepta est per expressam constitutionem

C

El. 18.

*censentur*

6.

Op.

21. 18. p. 2. Porro ob qualitatem debitoris principalis cessat hoc beneficium Excusionis vel Ordinis (1). Si notorium sit, cum non esse solvendo, jam enim pro Excuso habetur ut frustra Excusionis necessitas adhibeatur. 22. Si vel longe absens sit, vel latiter, vel difficulter conveniri possit, ita ut executi non possit, vel saltem non commode; Non enim diuturna debitoris absentia Creditoribus fraudi esse debet. Gail. 2. obs. 27. n. 35. ubi & alias limitationes videre est. Tandem ex delicto vel culpâ suâ privatur hoc beneficio fidejussor, si talem se esse & fidem pro alio obstrinxisse, inficiatus fuerit; Inficiantibus enim auxilium non est indulgendum, dicitur in l. 10. §. 1. ff. de fidejusß. Sicut in odium inficiantium aliæ quoque peccata in jure nostro sunt introductæ, de quibus varie in §. ult. Inst. de fideicommiss. bared. §. ult. Inst. de obl. quæ quasi ex contract. & passim. Ceterum quod de renunciatione beneficij Excusionis dictum est, illud non locum habet, si fidejussor saltem in subsidium intercesserit, qui indemnitas vocatur Rückbürge / Schadlosbürge. Nam ex naturâ obligationis hic conveniri non potest ante principalem. Treutl. vol. 2. d. 28. tb. 5. lit. d.

## THESS. XVI.

Secundò, beneficij divisionis locus non datur, interdum ob conditionem eorum, pro quibus fidejuserunt, interdum ob factum, interdum ob culpam fidejissorum. Ob conditionem eorum, pro quibus fidejuserunt, si scilicet pro tutoribus, qui satisfactionem, rem pupilli salvam fore, præstiterunt, se obligarint, singuli enim tunc in solidum tenentur, sine beneficio divisionis, l. ult. ff. rem pupill. salv. for. Ob factum fidejissorum non darur hoc beneficium, si renunciaverint atque ita ad jus vetus redierint, quo unusquisque in solidum erat obligatus: Sed an in casu, si singuli pro omnibus & omnes pro singulis se obligaverint, das sie sämplich vnd sonderlich einer für alle / vnd alle für einen hassen wollen vnd sellen / beneficij divisionis renunciatum censesbitur? Non obstante, quod verba cum effectu sint accipienda, ne sint otiosa: Negamus. Nam licet adjectum sit in obligatione, ut singuli in solidum teneantur, tamen nihil haec res mutare conditionem juris & Constitutionem, dicitur in l. 3. C. de fidejusß. Adde, quod horum verborum & sensus alius esse possit, & renunciatione beneficiorum expressa esse debeat, Jure Saxon. maxime per: Const. Elekt. 17. p. 2. Ob culpam denique fidejissorum cessat.

hoc beneficium si inficiati fuerint, se fidejussisse; Nam ita de-  
mum inter fidejussores dividitur actio, si non inficiantur, per-  
text. Expressum in l. 10. §. 1. ff. de fidejus. Plures casus videri pos-  
sunt post alios ap. Harpr. ad §. 4. Inst. de fidejus. n. 12. & seqq.

## THES. XVII.

Tertiō, cedendarum actionum beneficio cum effectu re-  
nunciari non potest, sed, licet renunciatum fuerit, nihilominus  
fidejussor ad solutionem in solidum faciendam conventus cedi-  
sibi actiones recte potest. Partim quod illa renunciatio bene-  
ficii cedendarum actionum, alio fine facta esse censeatur, ni-  
mirū ne alias eā Exceptione oppositā, solutionem fidejussor retar-  
det, partim, quod creditoris, posteaquam ipsi satisfactum est, ni-  
hil prorsus intersit, sed actiones suas adversus fidejussores reliquos  
sine dispendio cedere possit, ut in simili dicitur. in l. 38. ff. de  
Eviction.

## THES. XVIII.

Cæ terum de renunciatione beneficiorum, quæ fidejusso-  
bus, indulta in jure diximus sciendum est, quod illa esse debeat.  
1. Expressa, neque enim verba, quæ alias æquipollentia esse eviden-  
tur, Egr. obligare se tanquam principalem, ad beneficii Excus-  
sionis. Et verba, Einer für alle und alle für einen/ ad beneficii di-  
visionis renunciationem extendi possunt, per ea, quæ supra di-  
ximus in Thes. 15. & seq. 2. Specialis non generalis, unde licet  
fidejussores, in instrumento obligationis omnibus omnino bene-  
ficiis juris in genere & specie, solenni illâ & receptâ formulâ, wie  
die Rahmen haben mögen/ etiam beneficiis fidejussorum propriis,  
denen Volthalten/ so den Bürigen in Rechten gebüren/ renuncia-  
verint, nihilominus tamen beneficio, vel Excussionis, vel divi-  
sionis, uti poterint, ex observantiâ cum primis Saxonica, per Con-  
fist. Elect. Aug. 17. p. 2. Neque enim hâc in parte generalis renun-  
ciatio tantum valebit, quoad omnia, quantum specialis, quoad  
singula & speciatim enumerata, cum ad excludendam verisimi-  
lem ignorantiam, quæ in generali locutione præsumi solet; Spe-  
cialis renunciatione pro formâ requiratur; quod si in renunciatione  
beneficiorum, unius atque alterius mentio primum facta, &  
postmodum generalis clausula renunciativa, vel beneficiorum  
abdicativa subjecta fuerit, talem renunciationem ad beneficia  
non speciatim expressa extendi, atq; ita observari accipio. d. Conf.  
El. 17. p. 2. Schulz. Syn. Inst. de fidejus. circa fin.

THE.

## THES. XIX.

Præter illas verò Exceptiones, quæ fidejussoribus propter beneficia enumerata competunt, etiam alio modo juvantur, Exceptionibus nimirum iis, quæ reo, vel debitori principali dantur, dummodo rem ipsam & principalem obligationem concernant l. 15. l. 32. ff. de fidejus. l. 7. §. 2. ff. de Except. Nam si merè personales sint, ipsum fidejussorem concernentes, personam ejus non egrediuntur, nec fidejussoribus prosunt. d.l. 7. pr. ff. de Except. quā ratione, si debitor principalis bonis cesserit, ut in solidum ab initio conveniri non possit, ista cessionis bonorum Exceptio fidejussoribus non datur. §. ult. Inst. de Replicat. De aliis Exceptionibus, quæ fidejussoribus ex personā principali accommodentur, vel minus, Doctores videri possunt.

## THES. XX.

Tandem de Actionibus fidejussorum, ut videamus, super est: Competit autem ipsis, si solutionem fecerint eamq; factam probare possint Apochā sive confessione creditoris, vel per testes, adversus debitorem principalem ejusq; haeredes Actio mandati, contraria nimirum ad repetendum quod solverint. §. 6. Inst. de fidejus. l. 14. C. eod. Si pro mandante vel sciente saltem (nam qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. l. 60. ff. de Reg. jur.) fidejusserint; si pro ignorantie, Actio negotiorum gestorum ipsis datur. l. 20. §. 1. ff. Mand. Si pro vetante & prohibente, nec mandati actio, nec negotiorum gestorum est. l. 40. ff. mand. Quod si fidejussores à creditore cedi sibi actionem adversus debitorem curaverint, cādem actione, quam creditor habebat, ex iure cœlo experientur. Vid. Vult. add. §. 6. Inst. mandat. Interdum & ante solutionem creditor factam fidejussor aget ad liberationem, puta, si vel compensarit, cum creditore, vel obtulerit, obsignaverit & deposuerit pecuniam, id enim effectu pro solutione habetur; Si ad certum tempus fidejusserit; ut supra dictum, Si vel nimis moretur debitor principalis, vel bonis suis, maximè ex prodigalitate labatur; si novatio inter debitorem & creditem intervenierit; Si studiosus fidejussor, studiorum gratiā ad aliam Academiam proficiisci velit, quod tanquam singulare & favorable notant Doctores; Et aliis casibus, qui videri possunt apud Gail. lib. 2. obs. 29. Tretul. vol. 2. Disput. 28. thes. 6. & seq. Harpr. ad §. 6. Inst. de fidejus. Hic enim Disputationis nostræ

TERMINUS ESTO.

00 A 6414



PL

DAF



B.I.G.

Black



CUM DEO

DISPUTATIO JURIDICA

De

# FIDEJUSSORIBUS,

Quam

SUB PRÆSIDEO

Viri Consultissimi & Amplissimi

DN. GOTTFRIDI SUEVI J.U.D.

& P.P. Curiæ Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ Assessoris, Patroni & Præceptoris sui omni honoris & reverentia cultu suspiciendi.

Publico Examini proponit

JOHANNES BARSOENIUS

Hamburg.

In Auditorio ICTORUM

ad diem 3. Maij,  
hor. matut.

WITTEBERGÆ

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS VENDE  
ANNO M DC XLV.